



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 28. De triplici S. Petri negatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

domibus suis, vt viderent, quid tanti clamores & tali hora sibi vellent: quorum multi ad milites sese adiunxerint, vt eos iuarent, iniurias Christo inferre, immemores beneficiorum, quæ ab eo antea accepissent: Ipso interim benignissimo Domino, nihil vel de pace sua, vel de charitate in eosdem remittente; sed sese offerente ad patiendum iniurias à multis, pro salute omnium. Quamobrem dignus omnino est, qui ab omnibus per infinita secula, glori-
ficetur. Amen.

MEDITATIO XXVIII.
DE TRIPLICI S. PETRI
negatione.

PUNCTVM I.

a Matt. 26.

58.

a Marc. 14.

54.

a Luc. 22.

54.

b Ioan. 18. 15



OSTQVAM discipuli fugissent a Petrus sequebatur IESVM longe. b & alius discipulus. (S. Ioannes) qui erat notus Pontificis, & introiit cum IESV in atrium Pontificis: & ingressus etiam postea Petrus, accedens ad alios ministros, calefaciebat se, quia frigus erat.

PERPENDE, per quos gradus peruenerit Petrus ad negandum Christum, vt in alieno capite accipiens experimentum, cautior euidas, & pericula fugere discas.

PRI-

PRIMVS gradus fuit amoris tepiditas, orta ex humano timore: Amor enim ad sequendum Christum eum mouerat; sed humanus timor amorem ita debilitauit, vt *longe tantum sequeretur*, cum antea propè secutus esset.

SECUNDVS fuit obliuio eorum, quæ Christus illi prædixerat, futurum scilicet, vt ter ipsum illa nocte negaret. Est enim familiare nimium de se confidentibus, obliuisci verborum Dei, & eius admonitionum, quasi ad seipso pertinerent, quibus eos, à nimia de se ipsis præsumptione, retrahit.

TERTIVS fuit temerè se exponere occasioni & periculo negationis, cum sub specie amoris Christum secutus, coniunxit se abiectorum hominum societati, qui more suo vanè conuersantes, eum ad negationem prouocarent. Nec sine mysterio dictum videtur: *quia frigus erat*, vt cordis Petri frigus, & obscuritas eius mentis notaretur. Quod tamen totum à secreta præsumptione & sui ipsius fiducia originem duxit; quæ quod admonitione & prædictione Christi curata non fuerit, sed viua permanserit, malos hos fructus intempestiuè protulit.

TRIA ex factis hoc proposita firma concipiam. PRIMVM non præsumendi, nec mihi ipsi fidendi, memor sententiæ illius: *c. Rom. 11. 10. Tu si fide stas: non altum sapere, sed time: & illius: d. qui existimat se stare, videat ne cadat. d. 1. Cor. 10. 12.*

SECUNDVM propositum est, Christum non à longe, sed propè & cum feruore & alacritate sequendi. Qui enim à longe tantum sequitur,

I.

II.

III.

tur,

tur, non ponit suos pedes, ubi eos posuit Christus, nec eius bene vestigia terit, aut ea aduertit, aut ab eo in suis periculis protegatur. TERTIVM propositum est, fugiendi omnes occasiones impingendi, prauas que societates, que ad lapsum impellunt, memor sententiae Sapientis: *e Qui amat periculum peribit in illo.*

e Eccl. 3. 27.

I V.

LICET denique considerare, si (ut alii qui Doctores asserunt) ille discipulus, Pontifici fuerit S. Ioannes, eum etsi in eisdem occasionibus fuerit, in quibus S. Petrus, non tamen negasse Christum, aut negandi periculum incurrisse, præcipue quidem ob singularem Christi protectionem, qua eum præseruauit & protexit; & præterea, quia non habuit occultam superbiam & præsumptionem, quam S. Petrus. O Deus omnipotens, libera me ab occasionibus ruinae; in quas, si (quæ mea est magna miseria) fortè incidero, ita me protege gratiâ tuâ, ut non succumbam. *f Pone me iustate, & cuiusuis manus pugnet contra me: si enim me tua manu tenueris, nemo deiciet, aut extrahet ex ea.*

f Job. 17. 3.

PUNCTVM II.

a Matt. 26.

69.

b Marc. 14.

67.

c Luc 24. 36

d Ioh. 18. 17

ACCEDENS a Ancilla doctaria, c cuius vidisset Petrum sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, agnoscens eum esse Christi discipulū, conuersa ad circumstantes, & dixit: *& hic cum illo erat, & vertens se ad Petrum dixit ei: d Nunquid & tu ex discipulis es*

homi

hominis istius? proculdubio b tu cum IESU
Nazareno eras. At ille negavit, dicens: d Non
sum, c non novi illum, b neque scio, neque novi,
quid dicas.

CONSIDERA primùm Dæmonis astu-
tiam, dum primùm aggreditur S. Petrum per
mulierem, sicut Adamum aggressus fuit per
aliam; vt eum deiiceret mulieres enim, vt sunt
audaciores & molliores, etiam Ecclesiæ arces
& rupes etiam firmas, deiiciunt ad terram, nisi
fugiantur sollicitè.

ATTENDE in Petro magnam hominis im-
becillitatem, si quidem is, qui lapis & petra
erat, & quasi fundamentum Ecclesiæ constitu-
tus; & cui Christi diuinitas fuerat ab æterno
Patre reuelata, & propterea palam confessus
eum fuerat filiū Dei viui, & pro eo & cum eo
mori se se paulò antè obtulerat: idem nunc v-
nius mulierculæ voce adeo concutitur, vt eum
neget, dicatque se non nosse hominem, se dis-
cipulum eius nō esse, nec de tali Magistro glo-
rari: Quo exemplo discam, non mihi fidere,
vt qui nec Petrus nec petra sum; sed puluis &
lutum: & quicquid e auri argenteve virtutum
in me est, fundatur in fictili pedum fundamen-
to; vt vel paruulus tentationis & humani ti-
moris lapillus sufficiat, ad totam ædificij ma-
chinam conterendam. O Deus æterne, fac me
altissimè cognoscere lutum hoc, quod ex mei-
pso habeo, ne de mea virtute præsumam; sed
de te, cuius virtute i cibus tentationum resi-
stere; & collata mihi dona seruare possim.

c Dan. 2.33.

PER-

III.

f Tit. 1. 16

g Psal 90. 5

PERPENDE, quàm sit noxius timor immoderatus dedecoris: nam non tam ipsa aduersitas aut calamitas, quàm eius me timor deijcit: cuius causa sæpius Christum *f negauit*, non verbo, certè *factis*, erubescens aliquas virtutum actiones, (ad quas præstandas eram obstrictus) ne humani honoris aliquod punctulum amitterem, aut lucrum siue commodum, aut carnis aliquas illecebras & voluptates. Ideoque orandus mihi est Deus, vt *g* *scilicet* protectionis suæ *circundet me veritas eius, ne timeam à timore nocturno*, qui cor meum coartendat occupare.

IV.

PRAETEREA expende, quantam iniuriam Petrus Magistro suo hac occasione irrogauerit, quantumq; doloris perceperit Christus, vicem dilectum & charissimum sibi, nunc dedignatus se fateri eius esse discipulū; & eo facto vitam eius improbare, quæ negabat. Et hac consideratione, vicem dolebo Domini mei, quæ adeo videam à suis non agnosci, & desereri. O suppreme Magister, nihil iam mirum est, quod iudeus Judas te neget, cupiditatis stimulis actus; siquidem video feruentem Petrum ita pusillanimitate mutatum, vt & ipse te neget. Sed tua sapiëntia, hanc sibi inferri iniuriam permisit, vt magis innotescat tua patientia, quàm talia toleras; & nostra imbecillitas ad peccandum; tuæ denique gratiæ efficacitas ad lapsum erigendum.

PUNCTVM III.

VIDENS Petrus quod sibi euenerat, & periculum, in quo versabatur, a exijt foras ante atrium, ad b ianuam a Marc. 14. 68.
 videlicet; a & tunc gallus primùm cantauit: b Mt. 26. 71.
 (sed præ turbatione non aduertit) sed c post c Luc. 24. 58
 pusillum reuersus ad locum, vbi alij erant, ad d Ioan. 18. 25
 ignem calefacientes, se, d dixerunt ei: Nunquid
 & tu ex discipulis eius es? & vnus eorum affir-
 mauit: c & tu de illis es: ac Petrus b iterum
 negauit cum iuramento, quia non noui homi-
 nem. c Et interuallo facto quasi hora vnus a, b
 qui astabant vrgentes & instantes dicebant
 & tu: verè & tu ex illis es, & rationes & in-
 dicia adferebant ad conuincendum: nam d
 vnus ex seruis cognatus eius, cuius abscidit Pe-
 trus auriculam, dixit: nonne ego te vidi in horto
 cum illo? alij dicebant, a Nam Galilæus es, b
 & loquela tua manifestum te facit. Tunc
 Petrus cœpit detestari, & a anathematizare,
 & iurare, quia nescio hominem istum, quem di-
 citis.

I.

CIRCA hos Petri lapsus, perpendenda in
 primis est Satanæ astutia rabiesq; in eo vrgen-
 do, vt verum esset, quod pauld antè Christus
 de eo dixerat ipsi Petro. e Simon, ecce Satanas e Luc. 22. 31.
 expetiuit vos, vt cribaret sicut triticum, nunc
 enim his, nunc illis tentationibus non desti-
 titit, donec semel, iterum ac tertid eum pro-
 sterneret: optimos enim maioribus machinis

& fu-

& furis maioribus aggreditur: & nisi iolud
simè sint in humilitate fundati, ex sanctitate
culmine turpissimè deiicit. O Deus æterne
Non veniat, quæso, mihi pes superbia: & manus
peccatoris non moueat me, & à loco deiiciat,
quo gratiâ tuâ constitutus era n.

f Psal. 35. 12.

II.

DEINDE perpendam, quàm sit noxium in
loco & occasione peccandi hæere, & nõ redi
di nos cautos ex primo casu. nam peccatum
vnum vocat & trahit alterum: & quod leu
est, pertrahit ad grauius, g proficiendo, vt Apo
stolus ait, in peius, sicut hic euenit Petro, qui
cùm primùm simplici negatione Christum neg
gasset; secundò adiecit iuramentum negationi;
ac demum tertid etiam detestationem &
anathema iuramento addidit. Ideoque ref
plurimùm, humano timori in initio obstitere
& periculum, statim atque apparere incipit
aut eius percipimus odorem, fugere. Dæmo
nes enim semper votis & desiderijs suis, illud
Psal. i incessanter repetunt: h Exinanite ex
nanite vsque ad fundamentum Fidei & Spei
cui hæc anima nititur.

g 2. Tim. 3.
13.

h Psal. 136. 7

III.

DENIQUE attendam, sicut Petrus ter ei
nocte, nimium sibi fidens dixerat: i Esi omnes
scandalizati fuerint in te, ego nunquam scan
dalizabor: Et, k tecum paratus sum & in carce
rem & in mortem ire: & i etiamsi oportuerit
me mori tecum, non te negabo: ita in poenam
triplicis huius præsumptionis, permisit Deus
triplicem hinc casum in eius negationem. Quia
superbiæ è vestigio accedit humiliatio, in ea è
mate-

i Math. 26.

33.

k Luc. 22.

33.

materia, qua illa fouetur: ideoque conducit purimum, statim post lapsum in superbiam, hanc culpam deslendo deprecari, ne humilia- tionis acceleret poena.

PUNCTVM IV.

ET statim gallus iterum cantauit: b & conuersus Dominus respexit Petrum; & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet a tuis, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit a. b amarae.

a Marc. 14.

72.

b Luc. 22. 61.

Hic describitur Petri conuersio & poeni- tentia. Circa quam consideranda in primis est infinita Christi Domini misericordia & cha- ritas: qui etsi hostibus circumdatus, & in hor- rendarum persecutionum & calumniarum i- gne constitutus, omnium laborum suorum veluti oblitus, recordatur tamen discipuli, qui iniuriã illã negationis, eos magis augebat: & licet à Petro remotus, agnoscens lapsum eius, loco poenã, quam propterea promeritus erat, eidem compatitur; & eum respiciens benignis oculis, cupit ad poenitentiam prouocare; vt conuerso condonet lapsum: idq; totum sum- ma fecit festinatione, quò illam ouem, quã citissimè eriperet ex infernalis lupi faucibus, quam deuorauerat: idè statuit, vt gallus ite- rum cantet statim. quamuis nec secundus hic cantus suffecisset, sicut primus non suffecit, nisi ipse CHRISTVS oculos suos misericor-

I.

c Habac. 3. 2.

des ad eum conuertisset, illius oculos cœlesti lumine illustrans, vt errores suos agnosceret & cor eius alloquens, vt illos desineret. O benignissime IESV, cur te non amem ex toto corde! siquidem tunc media tu adhibes ad mihi ignoscendum, cùm ego in te offendendo occupor! & cùm iram tuam ostendere posses, me castigando, *recordaris misericordiam*, & eam exeres, peccata condonando. Comparete Domine, omnibus peccatoribus, eosq; misericordiam oculis aspiciens, fac vt aures præbeat tuis & concionatorum tuorum vocibus; & illorum corda tange, vt sua defleant peccata & cùm ex imbecillitate mea contigerit me labi, ne obliuiscaris tuos ad me oculos misericordiam conuere.

I I.

d Jerem. 2.
19.

DEINDE considerandæ sunt amaræ Sancti Petri lacrymæ, quæ non ex supplicij alicuius timore, sed ex amore sui Magistri procedebant. Nam reuocans in memoriam gratias & beneficia, quæ ab eo acceperat; & suam in eo negando ingratitude in tali occasione, oculi eius conuersi sunt in fontem lacrymarum, ingentemque amaritudinem cordis bene sentiens illud Ieremiam: *d Quia malum est amarum est reliquisse Deum tuum, & tuum Dominum negauisse.* Eheu me (dixerit) infelicem, quomodo adhuc uiuo, qui vitam negaui, quomodo non, dehiscens terra, me deuoraret, qui eius offenderim conditorem! O infandum os, quomodo apertum fuisti, vt iurares te non nosse eum, qui tanta in te contulit bona! O lin-

guam

quam execrandam, quomodo fuisti soluta, ut
 maledicta tibi imprecareris, si eum nosti, qui
 pro amoris tibi ostendit signa! Iustissimè sanè
 e venisset mihi maledictio quam dilexi; & in- *e Psal. 108.*
 fraret sicut aqua in interiora mea, & sicut *18.*
 oleum in ossibus meis, si quidem eam amplexa-
 rus, indui sicut vestimentum! O quis meo
 cordi, maris daret amaritudinem! f *Quis* *f Jerem. 9. 1.*
 dabit capiti meo aquam, & oculis meis fon-
 tem lacrynarum, & plorabo die ac nocte inter-
 fectam animam meam, & admissam in eius
 creatorem prodicionem! Sed quoniam eius
 misericordiam bene novi, qui per suum Pro-
 phetam dixit. *g Nunquid voluntatis mea, est* *g Ezech. 18.*
mor impij, & non potius ut conuertatur à vijs *23.*
suæ & viuat? Respiciam eum, qui me respe-
 xit; conuertar ad eum, qui ad me est conuer-
 sus; cordeque meo accedam, & ad eius pe-
 des prostratus, dicam cum filio prodigo:
h Pater, & Magister mi, peccaui in cælum *h Luc. 15. 21.*
& coram te: iam non sum dignus vocari filius
tuus, nec discipulus tuus: Sed fac me sicut
unum de mercenarijs tuis: quia mihi infernus
 nullus durior est, quàm à te domoque tua
 separari. Sic Petrus & peccatum suum flebat,
 & veniæ tamen fiduciam excitabat, memor,
 quòd eadem nocte Magister illi dixerat: *i Si* *i Luc. 22. 32.*
non ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:
& tu aliquando conuersus cõfirma fratres tuos.
 Et eodem hoc modo, quandiu superstes fuit,
 abbat, dom galli cantum audiret; & refertur
 de eo quòd præ incensarum lacrymarum con-

tinuatione & copia, oculorum angulos sutu-
rum & colliciarum instar excauatos habere-
ret.

III.

DENIQUE perpendendus est modus, quo
diuina inspiratio tetigit, illustrauit atq; con-
uertit Petrum: Nam primùm effecit, vt *Chris-
sti uerborum recordaretur*; & mox, vt *formam
grederetur*, ex talis occasionis loco, in quo
ipsum erat; ac demùm, vt seorsim & solus fieret
amare. Idemque facit nobiscum, cum nos
efficaciter mouet. Nam ex primo mouemur
ad timorem, fiduciam, & amorem; ex secun-
do remouentur impedimenta cōuersionis &
pœnitentiæ; ex tertio consequimur fructus
eius, veniam scilicet peccatorum, si uoluntate
adfit ea suo tempore confitendi. O anima
mea, vt in Sancto Petro tuam ad peccandum
imbecillitatem deprehendis; sic in eodem
obserua diuinæ gratiæ efficacitatem, vt con-
fidenter ad Deum conuertaris: sed tua
peccata desinas, ut ille sua desinit;
quò plenam eorum veniam
consequaris. A-
men.

